



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum sine pœnitentia peccatum remitti possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

cundum conditionem suam magis detestandam, atq; adeo malleus peccatum committere (si alterutrum esset amplectendum) ad pœnam æternam euitandam.

ARTICVLVS II.

Vtrum sine pœnitentia peccatum remitti possit?

Resp. neg.

73.

Conclus.
est de fide.
Trident.Luc. 13.
Act. 2. & 3.

NEGAT peccatum mortale sine pœnitentia posse remitti, quia Deus non remittit offensam mortalem absq; immutatione voluntatis, per quam voluntas conuertatur ad Deum cum detestatione, & dolore conuersionis præteritæ ad bonum cõmutabile, & cum emendationis proposito. Cõclusio intellecta de lege ordinaria est de fide, quæ potest colligi ex Conc. Trid. sess. 14. can. 4. de pœnitentiâ, & ex cap. 6. & 14. sess. 6. videri etiam potest idem Conciliũ c. 1. & 4. sess. 14. eadẽ veritas patet ex varijs Scripturæ locis, Luc. 13. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis* Act. 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum & c. in remissionem peccatorum vestrorum.* cap. 3. *pœnitentiam & conuertimini, ut deleantur peccata vestra.* estque rationi consentaneum: nam ratio naturalis dictat, vt qui vult veniam ab altero consequi, & ei reconciliari, atque ad eius amicitiam admitti, doleat se illum offendisse, & emendationem in futurum proponat.

Vnde non solum in lege euangelicâ, sed in omni aliâ, pœnitentia fuit necessaria ad acquirendam peccatorum remissionem, vt patet ex Trid. sess. 14. c. 4. & potest confirmari ex eo quod remissio peccatorum in nouâ lege nõ sit reddita difficilior, sed potius facilior. esset autem difficilior, si Christus Dominus exegisset pœnitentiam peccatorum in nouâ lege, quæ in lege naturæ vel Mosaicâ non fuisset necessaria. adde quod cum in lege antiquâ non essent instituta Sacramenta, quibus homines ex opere operato consequerentur peccatorum remissionem, ad illam consequendam saltem extracursum martyrij perfecta pœnitentia fuerit necessaria modo infra explicando: in nouâ verò lege institutis Sacramentis, quæ gratiam ex opere operato conferunt, & operantur remissionem peccatorum, inferior sufficit ad remissionem peccatorum acquirendam per Sacramenta, vt ostendimus agentes de effectu baptismi & in sequentibus ostendimus agentes de Sacramento pœnitentiæ.

D V B I V M I.

Qua ratione pœnitentia sit necessaria peccatori ad obtinendam peccatorum remissionem?

74.

Sensus quæstionis.

Necessariũ
necesse re
medij, a
quid dica
tur.
Quid ne
cessariũ ne
cessitate
præcepti.

Conclus.

PETIMVS, num ea necessitas sit solius præcepti, an etiam medijs: pro quo Notandum id dici necessarium necessitate medijs, sine quo vel ex rei naturâ, vel ex alterius voluntate finis nequit obtineri, ita vt carentia illius etiâ inculcata obstat affectu finis: id verò necessarium solum necessitate præcepti, cuius voluntaria transgressio obstat quidem finis consecutioni, non tamen inculcata carentia. v. g. inculcata omisso sacri die præcepto homini non nocet ad finem suum assequendum. hoc prænotato Dico secundum legem ordinariam pœnitentiâ

esse necessariam necessitate medijs ad obtinendam remissionem peccati mortalis, ita vt quantumcumque homo inculpatè eâ careat, nullo modo possit obtinere remissionem peccati.

Probat. 1. ex Trid. sess. 14. c. 4. docente contritionis motum quouis tempore fuisse ad impetrandam veniam peccatorum necessarium & sess. 6. cap. 6. & 14. recensente pœnitentiam dispositionem necessariam ad iustificationem.

Probat. 2. pleraque Scripturæ loca, quæ pœnitentiæ necessitatem declarant, videntur hanc necessitatem medijs indicare, vt Luc. 13. cit. Ecclesiastici 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei & non in manus hominum.*

Probat. 3. ex Aug. epistola 48. in fine dicente: *nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque seu magno seu paruo peccato ad correctionem sine pœnitentiâ posse transire.* plures Patres vide apud Suarez disp. 9. sect. 1. m. 4.

Probat. 4. ratione D. Thom. in præsentis articulo, quæ non qualemcumque necessitatem pœnitentiæ ostendit ad obtinendam veniam peccatorum, sed etiam medijs.

Aduerte 1. pœnitentiam etiam esse necessariam necessitate præcepti, ita vt si quis omittat voluntariè agere pœnitentiâ, sit peccaturus. quia actus ad salutem necessarius existit in nostra potestate cadit sub præceptum, cum homo teneatur salutem suam procurare, & proinde adhibere actus, qui sūt necessarij ad illam procurandam, qualis est pœnitentia in peccatore, vt ex his patet. quando autem hoc pœnitentiæ præceptum obliget infra dicitur. ex dicendis etiam colligitur num hæc necessitas tum medijs tum præcepti oriatur ex ipsâ rei naturâ, sepositâ omni Dei voluntate & ordinatione: an verò ex voluntate Dei positiuâ.

Aduerte 2. pœnitentiam vtilem ad iustificationem, & remissionem peccatorum obtinendam debere esse efficacem etiam quando iustificamur per Sacramenta, vt facile patet ex dictis circa articulum primum, estque cõforme naturæ reconciliationis: nullus enim meretur veniam, qui non elicit huiusmodi efficacem pœnitentiâ, quam cum diuino auxilio potest adhibere. Confir. ex Isaia 1. *auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quis scire agere peruersè, discite benefacere & c. si fuerint peccata vestra, ut cocinũ, quasi ros: de albabunur & c. Ioëlis 2. conuertimini ad me in toto corde vestro: talis autẽ conuersio dicit actum efficacem. ex quo patet pœnitentiâ necessariam ad iustificationem requirere salutem virtuale propositum vitandĩ peccata in futurum, de quo in superioribus dictũ est. videri potest Florentinũ decreto de Sacramentis, de Sacramento pœnitentiæ, & Tridentinum sess. 14. cap. 4.*

His suppositis tanquam communiter receptis controuertitur qualis debeat esse pœnitentia necessaria ad obtinendam peccatorum remissionem: itaque

D V B I V M II.

Vtrum ad remissionem peccati necessaria sit explicita pœnitentia?

76.

ASSEKIT Canus relectione 3. de pœnitentiâ §. de charitate verò, & sequentibus, qui sentit aliquem posse diligere Deum super omnia, & nihilominus defectu contritionis permanere in peccato mortali, pro quâ sententiâ quoad necessitatẽ formalis pœnitentiæ ad obtinendam remissionem peccati mortalis

mortalis plures referuntur, præsertim Thomista.

Alij censent sufficere virtutem pœnitentiæ. ita Scotus in 4. dist. 14. q. 1. art. 3. in fine §. de 2. conclusionem. Gabr. q. 1. art. 2. in fine Maior q. 1. conclus. 5. Scotus dist. 15. q. 1. art. 2. conclus. 2. (qui in decursu illius conclusionis, vt & in alijs habet quædam minis probanda) Suarez disp. 9. sect. 1. num. 6. & sequentibus, Vasquez tomo 4. dubio 1. circa hunc articulum §. mibi ergo placet, Valentia disp. 7. q. 3. puncto 2. §. ceterum.

Dico 1. per se loquendo ad obtinendam remissionem peccati mortalis formalis pœnitentia est necessaria. id videntur saltem conuincere loca Scripture, Patrum, & alia paulo antè allata, & indicata. quod vltimis

Probatur; per se loquendo, vt quis reconciliatur alteri, & admittatur ad eius amicitiam, requiritur, vt eum pœniteat delicti in alterum commissi, cum ergo confiter Deum non condonare peccatū absque pio motu peccatoris, conformiter naturæ reconciliationis requiritur, vt pœniteat peccatorem delicti in Deum commissi. Confir. peccator qui secluso casu obliuionis, vel naturalis inconsiderationis non concipit pœnitentiam de suo peccato, suo modo censetur in eo voluntariè permere, ergo secundum legem Dei ordinariam non potest illius remissionem obtinere.

Hinc fit; vt si peccatori peccatum occurrat practice tanquam detestandum &c. is non possit iustificari absque motu pœnitentiæ. dixi practice, propter dicenda inferius.

Dico 2. in casu obliuionis vel inconsiderationis naturalis potest aliquis obtinere remissionem peccatorum per actum amoris Dei super omnia absque formali pœnitentia, pro quo

Suppono videlicet certum peccatorem posse cum speciali Dei auxilio elicere amorem supernaturalem Dei super omnia, etiamsi peccata non detestetur, vel de illis doleat, si videlicet illa menti non occurrant. quod probatur, Deus & peccata sunt obiecta planè distincta, ergo aliquis potest cogitare de Deo, qui non cogitet de peccato: ex hac autem cogitatione potest moueri ad amandū Deum, quamuis nullum actum circa peccatum eliciat, nam in hoc nulla est repugnantia. Confir. voluntas potest sufficienter moueri ab infinità Dei bonitate ad illud amandū, ergo peccator potest Deum amare, licet nil cogitet de peccato. antecedens certum est in homine iusto, qui potest Deum perfecte amare absque vilo respectu ad peccatum. consequentia. verò probatur, status peccati, quem aliquis inculpate non aduertit, non potest adimere diuinæ bonitati vim mouendi voluntatem ad sui amorem.

Neque hinc sequitur posse elici amorem Dei super omnia absque vilo motu in peccatū, etiamsi illud menti occurrat vt detestandum &c. id, inquam, non sequitur, cum is, cui occurrit practice peccatum, vt detestandum, aduertens se Deum grauius offendisse vsq; ad dissolutionem amicitia, non possit dici amare Deum super omnia, si non detestetur peccatum. Confir. verus amor super omnia si sit efficax, hominem mouet ad destructionem eius, quod repugnat rei amari. vnde siue actus differat physicè, siue non, talis est cōditio amoris, vt si peccatum menti obijciatur practice vt detestandum, &c. creatura nō possit Deum super omnia amare, quin moueatur motu detestationis, & doloris in peccatum, supposito quod Deū grauius offenderit. est contra Valent, suprà, §. primò dici non potest,

& sequenti, qui censet extra tempus præceptum posse exerceri actum charitatis sine pœnitentia peccati, quamuis illud menti occurrat, quod ex dictis patet esse improbabile. hoc præmissis

Probatur conclusio 1. hi articuli: *Homo existens in peccato mortali, siue in reatu peccati mortalis potest habere veram charitatem, item, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis*, sunt damnati à duobus Pontificibus, ergo dicendum est, neque peccatum mortale, neque reatum æternæ damnationis posse consistere cum charitate, igitur ratione amoris Dei super omnia, qui est perfecta charitas, potest acquiri remissio peccatorum, licet non inueniatur formalis pœnitentia.

Probatur 2. ex Ioannis 14. *qui diligit me, diligetur à patre meo &c. & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, quibus verbis Christus Dominus varijs modis declarat ratione dilectionis, & amoris super omnia conferri homini gratiam sanctificantem, primò, cum dicit: *diligetur à patre meo*, per quod designatur talem diligendum à Deo, & admittendum ad diuinam amicitiam, futurumque Dei amicum, cumq; Deus nullum diligat, cui non confert gratiam sanctificantem, sequitur diligenti Deum super omnia statim conferri gratiam sanctificantem. cum verò amicitia Dei non consistat eum peccato mortali, vel eius statu, sequitur peccatori elicienti huiusmodi amorem statim remitti peccatū, quod etiam sequitur ex infusione gratiæ, quæ saltem secundum legem Dei ordinariam non consistit cum peccato mortali. idem declarant verba: *veniemus & mansionem apud eum faciemus*, nam diuinæ personæ non solent dici venire ad creaturam rationalem, & in ea habitare, nisi ei gratiam sanctificantem conferant, seu vsu Scripturæ & Patrum solum dicuntur habitare in animâ iusti.

Probatur 3. per actum amoris Dei super omnia creatura supremo modo coniungitur Deo, & perfectissimo modo ad illum conuertitur, ac proinde peccator diligens Deum super omnia saltem de congruo meretur, vt Deus vicissim ad eum conuertatur per infusionem gratiæ, per quam illi vniatur, & per quam ipsa creatura ad diuinam amicitiam admittatur.

Aduerte in conclusione dictum, *absque formali pœnitentiâ*; quia in casu 2. conclusionis saltem implicita pœnitentia inuenitur in ipso amore Dei super omnia, qui talis est naturæ, vt si peccata menti occurrerent, vi motus amoris in Deum, voluntas moueretur in peccata, ea detestando, & de eis dolendo. quia, vt dictum est, qui alium perfecte amat, eo ipso mouetur ad destruendum in se quidquid displicet amato tanquam dissoluens eius amicitiam, atque ita talis amor continet implicitam, & virtutalem pœnitentiam, & per consequens saltem virtutalis pœnitentia est necessaria ad obtinendam remissionem peccati mortalis, quemadmodum supra dictum est virtutalem saltem amorem Dei super omnia requiri ad obtinendam remissionem peccati. vbi

Obiter notandum in præsentia virtuale non intelligi eo modo quo 1. 2. intentio dicitur virtualiter in aliquo actu remanere, quæ scilicet actu expresso præcesserit & censetur remanere in medio ex illâ voluntate deriuato, sed dicitur virtualis pœnitentia alio modo iam explicato.

Ex dictis facile potest colligi cur in fine prioris conclusionis dictum sit: *si peccatori peccatum practice occurrat tanquam detestandum &c.* quia videtur fieri posse etiam secundum naturalem rerum cursum, vt peccatori peccatum veniat in mentem, qui ta-

men

Prob. conclus. 1.

Prob. 2. Ioan. 4.

Personæ diuinæ non solent dici venire ad creaturam rationalem nisi gratiā ei conferant, Prob. 3.

79.

Qui alium perfecte amat, eo ipso mouetur ad destruendum in se quidquid displicet amato.

80.

men inculpate illud non notet ut detestandum, cum ipsa detestatio sit diversum obiectum à peccato, & proinde vnum possit menti occurrere non occurrente alio. quo casu similiter dicendum peccatorem obtenturum remissionem peccati per amorem Dei super omnia, quamvis non detestetur formaliter peccatum, vel de illo doleat.

Ex dictis hoc dubio, & dubijs circa articulum præcedentem facile patet ad hoc, ut peccator secundum legem Dei ordinariam consequatur remissionem peccati mortalis extra Sacramentum, & martyrium, requiri perfectam contritionem, vel saltem amorem Dei super omnia iuxta datas explicationes, & illa sufficere, ut communiter Theologi, qui censent huiusmodi actus esse ultimas dispositiones ad gratiam sanctificantem.

81.

Obiectio 1
contra 2.
conclus.

Resp.

Contra 2. conclusionem obijciunt 1. quod pleraque loca probantia pœnitentiam esse necessariam necessitate medijs secundum dicta in priori conclusione, sint accipienda de pœnitentia formali. Respondeo id solum intelligi, quando peccata menti occurrunt practice ut detestanda, quod satis patet ex locis Scripturæ citari solitis, quibus peccata ponuntur ob oculos, ut ad eorum pœnitentiam excitemur. idem dicendum ad loca Tridentini, & SS. Patrum quod si peccata menti non occurrant, vel saltem non occurrant ut detestanda (quod fieri posse ostendimus) virtualis pœnitentia sufficit. & de hac in casu hypothesis Scripturæ, concilia, & Patres sufficienter possunt intelligi.

Replica.

Contra, ad iustificationem adulti requiritur fides explicita, ita ut nullus adultus possit iustificari absque formali actu fidei, & tamen fides non videtur aliter requiri, quam pœnitentia, igitur etiam pœnitentia explicita erit necessaria ad iustificationem impij.

Solvitur.

Resp. negando minorem. ratio diversitatis est quod fides sit totius iustificationis fundamentum, & initium actionum supernaturalium, unde non datur alius supernaturalis actus intellectus, in quo censetur virtute contineri, & per consequens quicumque tandem requiratur, seu cuiuscumque sit obiecti, debet esse explicita, seu formalis actus fidei: pœnitentia verò, ut dictum est, potest virtute contineri in alio actu, & proinde fides potest aliter requiri, quam pœnitentia, & ita non sequitur, si fides explicita requiratur ad iustificationem, ad eandem requiri explicitam pœnitentiam.

Obiectio 2.

Resp.

Obijciunt 2. ut iustificemur per Sacramentum pœnitentiæ, requiritur formalis actus pœnitentiæ, ergo idem requiratur ut iustificemur extra illud. Respondeo negando consequentiam: quia aliquis formalis actus pœnitentiæ est pars Sacramenti pœnitentiæ, ut patet ex Florentino & Tridentino, ita ut sine aliquo formali actu pœnitentiæ ipsum pœnitentiæ Sacramentum poni non possit, unde mirum non est, si Sacramentum pœnitentiæ non possit suo modo iustificare absque aliqua tandem formali pœnitentia, cum ipsum Sacramentum pœnitentiæ nequeat, si desit illa eius pars: ad iustificationem verò extra Sacramentum sufficit, ut moralis sufficiens dispositio ponatur, quæ dispositio potest inveniri dum ponitur amor Dei super omnia, & virtualis pœnitentia, ut ostensum est.

D V B I V M III.

Virum per se loquendo peccator teneatur contritionem peccati elicere?

Dico, per se loquendo, quia constat per accidens peccatorem posse varijs casibus obligari ad elicendam contritionem, ut si sacerdos in mortali existens teneatur aliquod Sacramentum ministrare nec habeat copiam confessarii, tenetur, quantum in se est, contritionem elicere, ne aliquem ministrans in statu peccati mortalis censetur illud indignè ministrare, & ita de varijs casibus, quibus interdum contritio per accidens possit esse necessaria. ubi

Obiter notandum omissionem contritionis ijs casibus, quibus peccator censetur per accidens obligari ad contritionem elicendam, non esse speciale peccatum contra virtutem charitatis: sed eatenus censeri peccatum, quatenus negligitur medium necessarium ad finem alicuius virtutis quæ hic, & nunc obligat, adeoque solum committi peccatum contra huiusmodi particularem virtutem hic & nunc obligantem. unde qui in casu relato administrationis Sacramentorum negligit contritionem, solum peccat peccato indignæ administrationis, & in confessione satisfacit, si dicat se administrasse indignè Sacramentum, nec tenetur dicere se neglexisse contritionem. hoc præmissis

Præsens quæstio potest intelligi de contritione perfectâ (de quâ passim in præcedentibus dubijs locuti sumus) respectu status, quo nondum concipiuntur instituta Sacramenta vel respectu status, in quo Sacramenta concipiuntur instituta.

Quoad posterius constat ex communiori Doctorum sententia non ita requiri contritionem, quin per inferiorem aliquem dolorem homo constituitur extra obligationem præcepti si quod sit, quia ad acquirendam remissionem peccatorum per Sacramentum baptismi vel pœnitentiæ communiori sententiâ sufficit efficax attritio supernaturalis, id est, quæ involvat saltem virtuale propositum emendationis in futurum.

In præsentis quæstione communis Doctorum sententia est, sepositis Sacramentis peccatorem obligari ad contritionem perfectam elicendam. quam sententiam insinuant Scripturæ, quæ nos vident ad agenda pœnitentiam: nam per pœnitentiam Scripturæ solent intelligere perfectam & reconciliatiam. videri potest Lucæ 13, aliquoties citato.

Idem probatur 1. ex Tertull. lib. de pœnitentia c. 4. bonum est pœnitere an nō? quid remoluit? Deus præcepit, quo loco Tertull. agere de perfectâ pœnitentiâ, seu contritione patet ex iâ dictis, quod scilicet per pœnitentiam videatur intelligere reconciliatiam.

Prob. 2. supra ostendimus contritionem esse medium necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum, quando illa menti obijciuntur practice ut detestanda, quod medium cum Dei auxilio situm est in nostra potestate: at qui iuxta communem Theologorum sententiam medium necessarium ad salutem & ad gratiâ & remissionem peccatorum comparandis, quod etiam inde probari potest: cum præcepta ad hoc tendant, ut ad finem nostrum supernaturalem perducamur, nihil aptius nobis præcipitur, quam id, quod tanquam medium ad illum finem requiritur, si huiusmodi medium situm sit in nostra potestate: posita igitur illâ communi sententiâ.

Quæst.

Quæri potest, quale sit præceptum contritionis naturale, an verò solum positivum? videri possit positivum ex Tertulliano citato, dicente: *Deus præcepit*. & pro hac sententiâ Vasquez q. 86. art. 2. dubio 1. num. 13. & sequentibus, refert Joannem Medinam cod. de penitentia tractatu 1. q. 2. §. *quibus tamen non obstantibus*.

Verum longè verius est, quòd sit præceptum naturæ, seu connaturale statui gratiæ, ut ostendit ratio in secunda probatione à nobis facta. & fortè id non negat Medina, sed solum vult quod iam dicemus. nec obstat Tertullianus, quia quod est præcepti naturalis, bene potest dici à Deo præceptum, mediante scilicet lumine naturæ vel solo, vel illustrato fide. adde quòd illud ipsum bene possit esse præceptum lege positivæ. Sed difficultas esse potest an præceptum contritionis ita sit naturale, ut nullam Dei ordinationem prærequirat: non dico præceptionem, sed solum ordinationem. asserit Vasquez supra, qui censet seposità omni constitutione Dei contritionem seipsa expellere peccatum per modum formæ, & proinde nisi iustificatio suppleatur infusione gratiæ, omnino necessarium esse dolere, & penitere de peccato.

Verum probabilis est aliquam Dei ordinationem requiri, eam scilicet, quâ Deus exegit contritionem, ut peccatū homini remitteretur. pro quo

Notandum quod in superioribus diximus, contritionem etiam ex Dei auxilio elicitam non esse formam iustificantem, & ex se solâ expulsiuam peccati, imò nec esse dispositionem, ad quam omnimodâ necessitate sequatur expulsio peccati, & sine quâ peccatum expelli non possit: sed Deum liberè eam hominibus præfixisse tanquam dispositionem necessariam ad remissionem peccatorum obtinendam, sine quâ Dei ordinatione non potuisset hunc effectum consequi. prærequirit ergo huiusmodi ordinationem, ut dici possit præcepta præcepto naturali: eâ autem ordinatione positâ esse præceptum abique novâ Dei positivâ voluntate, quâ contritio nobis præcipiatur. Probatur, sepositâ omni voluntate præcipiente obligamur ad id, quod nobis est necessarium ad salutem, & remissionem peccatorum, quando tale medium in nostrâ potestate situm est, ut patet ex ratione à nobis facta: cum ergo obligemur Deo reconciliari, ad quam reconciliationem necessaria est contritio tanquam medium, & illud medium situm sit in nostra potestate cum Dei auxilio, ratio naturalis illustrata fide dicit peccatorem ad illam obligari. & fortè id solum voluit Medina supra.

Ex dictis facile colligi potest quomodo homo iustificatus per Sacramenta non teneatur contritionem elicere de peccatis quorum remissionem est consecutus, & quomodo Deus eo casu non dispenset in præcepto naturali. non tenetur conteri, quia deest materia ob quam teneatur contritionem elicere. cum enim præceptum contritionis solum obliget peccatorem seu existentem in peccato mortali, remissio peccato non remanet obligatio contritionis propter subtractionem materiæ circa quam. 2. quia Deus in novâ lege instituit novam mediâ iificationis, & remissionis peccatorum acquirendæ, quod facere potuit absque eo, quòd dispensaret in lege naturæ. unde patet quod posteriori loco diximus. Dices, ex his videtur sequi iustificationem per actum amoris Dei super omnia sine formali contritione, eò quòd peccata menti non obijcerentur, non teneri conteri quando illa menti obijciuntur. aliqui tenent in eo casu obligari ad

contritionem elicendam, quod videtur sentire Medina supra §. *quarto arguitur*, Vega li. 13. in Trid. *Medin.* c. 20. Suarez disp. 9. sect. 1. nu. 13. prout sese explicat disp. 15. sect. 1. nu. 6. & sect. 4. nu. 12. Valentia disp. 7. q. 3. puncto 2. §. *nec valet*, & q. 8. puncto 4. §. *neque verò*, qui etiam tener hominem obligari ad contritionem tempore præcepti contritionis, licet per usum Sacramenti sit iustificatus. Probatur, peccatum non remittitur extra Sacramentum nisi in voto contritionis. Confirm. quemadmodum in homine iustificato per contritionem remanet obligatio confitendi peccatum, quia ipsa contritio non remittit culpam, nisi ut includens votum confessionis, ita dicendum peccato per dilectionem delecto remanere obligationem elicendi contritionem de illo ipso peccato.

Resp. tamen cum Vasquez art. 2. cit. dubio 2. nu. 10. & seq. concedendo totum, quod etiam videtur sentire Sotus dist. 17. q. 2. art. 6. §. *non est tamen*, & dico hominem iustificatum quacumque ratione, per se loquendo, non obligari ad elicendum contritionem peccati remissi. propter rationem paulò ante allatam, ad rationem in contrarium. Resp. dilectionem Dei super omnia nō remittere peccatum in voto contritionis, sed prout virtute contritionem continet: quæ duo mihi videntur distingui, quòd aliquem actum habere vim, prout continet alium in voto, dicat eam vim non competere illi actui nisi per respectum ad alium actum ex rei naturâ, vel ex alterius voluntate: contineri verò virtute sit actum aliquem illius esse naturæ, & conditionis, ut necessariò alium coniunctum habeat, si mens advertat ad obiectum alterius actus, ita ut in eâ circumstantiâ, nec sit nec censeatur poni actus, qui dicitur alium continere, nisi alius formaliter ponatur: si tamen propter defectum aduententiæ obiecti alterius actus ille non ponatur, prior non desinit habere omnes conditiones vel naturaliter, vel ex alterius voluntate sibi competentes, etiam sine ulteriori obligatione alium actum ponendi.

Quod in simili potest ostendi, communi sententiâ, per se loquendo, ut peccator iustificetur, necessarius est etiam amor Dei super omnia, & tamen quando aliquis extra Sacramentum fuit iustificatus per contritionem sine formali actu amoris, non videtur vlllo modo remanere obligatio elicendi formalem actum dilectionis Dei super omnia. simile videtur esse iudicium de proposito emendandi vitam in futurum, quod virtute inclusum in contritione non debet necessariò postmodum formaliter elici per ordinem ad præcedentem reconciliationem. Ad id quod de confessione dicitur, cuius remanet obligatio etiam postquam homo est iustificatus per contritionem, dico id oriri ex positivo præcepto, quo iubemur omnia peccata mortalia post baptismum commissa subijcere clauibus Ecclesiæ: in præsentem verò non sufficienter innotescit huiusmodi obligatio, quin potius ex discursibus factis ostenditur nullam obligationem remanere ortam ex præcepto contritionis.

Ex dictis facile potest elici tertia probatio conclusionis à nobis positæ, nimirum quòd ex obligatione charitatis peccator obligetur elicere contritionem, quia infinita Dei bonitas, quæ postulat, & nos obligat ut Deum aliquando amemus, postulat & obligat, ut illi offenderimus, eiusque amicitiam dissolverimus, ei reconciliemur, & in gratiam cum illo redeamus. Unde patet quòd impunitetia, quo quando tempore vrger præceptum contritionis (de quo in sequentibus) sit speciale peccatū contra charitatem.

D d d

Obiici

Obiectio 1.
S. Thom.

Obijci potest quod S. Tho. 2.2. q. 14. art. 2. in corpore enumerans species peccatorum in Spiritum Sanctum, & ponens impenitentiam speciale peccatum dicat: *Non quidem eo modo quo dicitur permanentiam in peccato usque ad mortem* &c. (sic enim non esset speciale peccatum, sed quodam peccati circumstantia) sed accipimus hic impenitentiam secundum quod importat propositum non penitendi, ex quibus verbis videtur patere quod non committatur impenitentia peccatum absque formali hoc proposito, atque adeo non sit particulare praeceptum contritionis.

Resp.

Resp. neg. conf. nam S. Thom. eo loco solum vult docere impenitentiam sumptam pro permanentia in peccato usque ad mortem non esse speciale peccatum in Spiritum Sanctum, sed conditionem, quod dicitur esse in Spiritum Sanctum, esse circumstantiam peccati, scilicet talis impenitentia, ea scilicet ratione, quod omne peccatum mortale repugnat divinae bonitati, quae appropriatur Spiritui Sancto, quasi dicat impenitentia non fortitur specialem rationem peccati in Spiritum Sanctum, quando quis solum peccat eo quod perseverat in peccato, omittens agere de eo penitentiam, sed eo casu peccatum solum continet circumstantiam communem in Spiritum Sanctum, sicut & quilibet alia mortalia. ex quo non sequitur non esse speciale peccatum ad aliud genus peccati pertinens.

90.

Difficultas.

Ostenso quod peccator obligetur ex motivo charitatis erga Deum ad eliciendam contritionem, difficultas est an ex alio capite ad eandem, per se loquendo, possit obligari. Varij auctores censent etiam obligari ex charitate erga se: quia homo tenetur animae suae prospicere, & charitas erga seipsum unumquemque obligat ut non remaneat in eo statu, ratione cuius in aeternum sit damnandus.

Vasq. negat
peccatore
obligari
conteri ex
charitate
sui.

Vasquez tamen art. cit. dubio 3. num. 7. negat ex eo capite colligi peculiarem rationem praecepti, cuius transgressio constituit peculiare peccatum, quia idem est nocumentum, quod infertur per quodlibet peccatum mortale, & per omissionem penitentiae, nec videtur diversa ratio malitiae inferte sibi damnum spirituale per quodcumque mortale, & in eo permanere.

91.

Affir. videtur
verior.

Verum prior sententia videtur probabilior: si charitas erga proximum nos obligat, ut illi succurramus alioquin in aeternum perituro, si eadem nos obligat, ut ei succurramus in vita periculo constituto; potest etiam nos obligare, ut aliquando tandem nos eripiamus ex eo statu, in quo si permanserimus, in aeternum damnabimur. unde licet se constituisse in periculo damnationis non specificet actum mortaliter malum, sed sit circumstantia communis omnibus peccatis mortalibus: ommissio tamen penitentiae non potest dici quolibet casu sola circumstantia peccati praeteriti, sed in aliquo casu potest constituere speciale peccatum repugnans charitati erga seipsum.

Confirm. à simili, exemplo quod adfert Vasquez, qui lascivalem & cum possit commodè eundem iuvare negligit, non solum peccat contra iustitiam quodammodo continuando iniuriam, sed peculiariter etiam contra charitatem, negligendo iuvare extremè indigentem suo subsidio, quia charitas in ea circumstantia non minus obligat eum, qui laesit, quam quemlibet alium valentem sine suo gravi incommodo succurrere.

Solutio
ratio Ad-
versariorum.

Ex his patet solutio rationis quam adfert Vasquez pro sua sententia. quam videri infirmam

etiam ex eo patet, quod per omne peccatum mortale dissolvatur divina amicitia, & homo fiat inimicus Deo, ita ut haec conditio non asserat specialem malitiam in peccato mortali, nisi sit specialiter intenta, nec videatur diversam malitiae rationem constituere solvere amicitiam, & in ea dissolutione permanere: & tamen ipse cum communi sententia Theologorum docet peccatorem peculiari praecepto charitatis teneri conteri, ut Deo reconcilietur, igitur bene potest consistere quod licet aliquanta permanentia in peccato non sit novum peccatum, sit tamen novum semper in eo permanere, & nunquam suae salutis prospicere.

Ex dictis patet quod homo negligens de peccatis conteri, per se loquendo, duplici peccato specie peccat, scilicet peccato omissionis repugnanti charitati erga Deum, cui negligit reconciliari, & peccato omissionis repugnanti charitati sui ipsius, negligendo salutis suae prospicere.

Dixi, per se loquendo, quia homo varijs modis potest ab his peccatis excusari. 1. si invincibiliter ignoret obligationem, ut facile potest contingere, in multis idiotis, & rusticis. 2. si homo subito abripitur, nec possit facile advertere sibi agendam penitentiam de peccatis. Adverte cum dicimus hominem teneri conteri ex praecepto charitatis erga seipsum, nos non velle quod teneatur elicere actum, quo expressè doleat de peccato ut sibi prospiciat, quia ne quidem teneatur dolere sub expressa ratione, & motivo reconciliationis cum Deo, sed quod teneatur ponere actum contritionis per quem reipsa sibi consulat, & quod charitas erga seipsum ad id obliget.

Dubium est num ex alio titulo obligetur ad huiusmodi contritionis actum, scilicet titulo iustitiae seu ut hac ratione Deo satisfaciatur pro offensa?

Notandum, quod ex dictis colligi potest, nos non teneri elicere actum sub illo expresso motivo, sed obligationi iustitiae si qua sit, in omni sententia satisfieri per actum contritionis, quia per actum contritionis reipsa satisfacimus Deo, quantum creatura potest satisfacere, & quantum Deus videtur rationabiliter posse ab eadem exigere. Dubium verò est num etiam titulus iustitiae obliget peccatorem ad hunc contritionis actum ponendum? negat Vasquez art. 2. cit. dubio 5. nu. 38. & 74. 39. & dubio 6. num. ult. sed

Resp. cum varijs peccatorem etiam ex eo titulo obligari contritionem elicere, atque adeo si nunquam conteratur, per se loquendo, etiam peccare contra particularem virtutem penitentiae.

Probat, ratio naturalis dicitur satisfaciendum pro offensa in Deum commissâ, & praeteritum Deus aliquâ nostrâ satisfactione sit contentus, quamvis ea non sit ita perfecta; constat autem Deum esse contentum satisfactione quam per contritionem ei exhibemus, & non esse contentum inferiore, cum à nobis exigat satisfactionem reconciliationis, qualis sola est contritio formalis, & interdum virtualis iuxta modos supra explicatos.

DVBIVM IV.

Virum hoc praeceptum contritionis obliget ad eam statim elicendam post commissum peccatum?

D VARIUM intelligitur, per se loquendo, in quo aliqui partem affirmativam sequuntur. Maior alij autem in 4. dist. 7. & quidam alij iuxta quam sententiam

peccator

peccator seclusis impedimentis non statim eliciens contritionem non solum permanet in antiquo peccato, sed censetur continuò de nouo peccare, eo modo, quo fur qui cum possit non restituit alienum, censetur peccatum actuale continuare.

Bona uentura dist. citata q. 2. quae incipit, *quantum ad tempus*, peculiariter asserit religiosos obligari ad statim confitendum, unde quoad illos idem videtur insinuare de contritione, quando non datur copia confessarij, cum obligatio confessionis in illis non videatur aliunde oriri, quam ex eo quòd teneantur se in statu gratiae conseruari, sed obiter.

Notandum non videri solidum eius discrimen inter religiosos, & alios: nam quamuis religiosi sint in statu perfectionis, non tamen tenentur villo precepto praeter alijs esse in gratia, cum tale preceptum neque colligatur ex iure diuino positum, neque concludatur ex natura status religiosi. homo enim assumens huiusmodi statum solum se astringit Deo ad quendam ex voti religionis obseruanda, & deinde iuxta cuiusque religionis modum astringit se ad regularem obseruationem, in quibus non inuenitur preceptum sese statim Deo reconciliandi, & recuperandi statum gratiae.

Aliorum, eaque longe communior sententia negat peccatorem ad id obligari. tenent Durandus dist. 17. q. 10. Sorus eadem dist. q. 2. art. 6. concl. 2. Medina Cod. de poenitentia tract. 1. q. 6. & plures alij tam antiqui quam recentiores, quos citat & sequitur Vasquez q. 86. art. 2. dubio 5. nu. 9. iuxta quorum sententiam Resp. &

Dico, per se loquendo, homo, qui mortaliter peccauit, non tenetur statim, seu prima data opportunitate conteri.

Probatum a posteriori 1. videtur absurdum dicere hominem peccatorem non poenitentem, per se loquendo, continuò mortaliter peccare, quod tamen aperte sequitur ex priori sententia. 2. ex eadem sequitur hominem, per se loquendo, nunquam peccare mortaliter, quia multiplex mortale committat. 1. peccat speciali genere peccati iuxta exigentiam materiae in qua versatur, & insuper contra charitatem erga Deum, erga seipsum, & peccato opposito poenitentiae peculiari virtuti. saltem secundum communissimam sententiam peccabit contra charitatem erga Deum, quae illum obligat ad poenitentiam de peccatis agenda. id sequi patet, si repugnet speciali precepto charitatis erga Deum nunquam esse in statu peccati mortalis, eidem repugnabit mortale peccatum committere. idem de alijs titulis proportionem est dicendum.

Probatum 2. haec obligatio non potest sufficienter colligi ex iure positivo. de humano certum est, quia nullum ecclesiasticum existit, imò verius nec potest esse, ut alibi ostendendum; non sufficienter etiam colligitur ex diuino positivo: nam quamuis scriptura doceat nos, tum necessitatem poenitentiae ad obtinendam peccatorum remissionem, tum obligationem, ex ea non colligitur nos obligari statim poenitentiam gerere.

Dices Ecclesiastici 5. dicitur: *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim ueniet ira illius, & in tempore vindictae disperdet te.*

Resp. ea sententia contineri quidem preceptum poenitentiam agendi: non tamen statim eliciendi actum contritionis, sed non nimium differendi de quo infra, si quid amplius in ea sententia indicetur ex ea parte solum continet saluberrimum consilium, seposito proximo peccandi periculo.

Obligatio statim eliciendi contritionem non

colligitur etiam sufficienter ex iure naturae: quia si quod tale esset preceptum, vel oriretur ex obligatione charitatis erga nos, vel ex obligatione charitatis erga Deum, vel ex obligatione iustitiae & specialis virtutis poenitentiae: ex nullo autem istorum peccator tenetur contriti minor pro prima parte probatur, charitas erga nos ipsos non obligat sub nouo peccato, ut nunquam permaneamus in statu peccati mortalis, & ut semper simus in Dei gratia, neque habemus speciale preceptum gratiam perpetuò conseruandi.

Obijcies 1. tenemur ex charitate erga proximum corripere peccantem, ergo is tenetur à peccato recedere, & per consequens tenetur conteri. consequentia probatur, preceptum correctionis fraternae videtur supponere in peccatore obligationem statim recedendi à peccato prima data opportunitate: nam frustra vnus tenetur monere, si alter non teneatur à peccato recedere.

Resp. 1. negari posse antecedens ad sensum objectionis. varij enim censent nos non teneri monere proximum, eumque corripere, nisi eo tempore quo tenetur se emendare, & omnium sententia homo non tenetur proximum peccatorem statim monere, & corripere.

Respondeo tamen 2. etiam concessio antecedente, negando consequentiam, eiusque probationem: quia preceptum virget ratione necessitatis proximi, cuius voluntas non ita est in nostra potestate, ita ut interdum contingat si hic, & nunc non moneamus, nunquam sit futura occasio monendi, & proximus sit in eternum periturus: homo verò respectu sui potest commodè habere alias opportunitates recedendi à peccato, & si quando non speraretur talis opportunitas, posset obligari ad recedendum à statu peccati mortalis: quae tamen obligatio non oriretur ex intrinseca ratione precepti charitatis erga se, per se & sepositis extrinsecis obligantis ad contritionem statim eliciendam, sed per accidens.

Obijcitur 2. peccator versatur in perpetuo peccandi periculo: nam, ut habet Gregorius homilia 11. in Ezechielem post medium, *Peccatum quod per poenitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati simul & pena peccati est. sed si citius poenitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui slendo, & corrigendo noluit mundare quod fecit peccatum, incipiat peccatum cumulare, igitur continuò peccat.*

Resp. negando antecedens, si intelligatur de proximo peccandi periculo (de quo intelligitur commune dictum, *peccat qui versatur in periculo peccandi*) nam homo ratione habitualis peccati, seu quia in peccato permanet, non habet obiecta, & proximas peccandi occasiones, quas sub nouo peccato teneatur vitare. Ad Gregorium dico cum tantum velle peccatorem non posse valde diu in peccato permanere, & saepe reijcere inspirationes diuinas, quibus vocetur ad poenitentiam, quin iusto Dei iudicio in aliud peccatum labatur, non verò quòd statim teneatur conuerti alioquin peccaturus.

Minor argumenti nostri probatur pro secunda parte, scilicet peccatorem non teneri statim conteri ex charitate erga Deum, quia non sufficienter ostenditur, quòd homo sub obligatione continuò de nouo peccandi teneatur statim recedere à statu habitualis peccati, seu habituali Dei inimicitia.

Dices, peccator non recedens à peccato per contritionem, videtur suum statum approbare, & am-

98.

Obiectio 1.

Resp. 1.

Resp. 2.

99.

Obiectio 2.

Gregor.

Resp.

Replica.

citiam Dei contemnere; hæc autem approbatio & contemptus grauitur reputant rationi.

Confirm. si peccator ellet actu positio carentiam gratiæ aut statum inimicitia mortaliter peccaret, ergo etiam peccat, si ea velit interpretatiuè, cum in moralibus veritas interpretatiua equiualeat formali ad hoc, ut aliquis peccet; at qui negligendo conteri, scilicet quando datur opportunitas, peccator censetur interpretatiuè velle carentiam gratiæ.

Diluitur. Resp. negando antecedens, si intelligatur quod peccator censetur vel nouo actu morali id velle, vel continuando actum quo peccauit, nullus enim id censet, nequedici potest: nam præcisè ratione status habitualis peccati homo non censetur actum præteritum continuare, & actualiter suum statum approbare &c. sed non recedendo ab eo statu solum censetur habitualiter in eo permanere, & peccatum præteritum & eius status solum eatenus censentur voluntaria, quia non sunt retractata, quod solum dicit aliquid habituale, nec adfert nouam malitiam, sed solum dicit antiquam habitualiter manere. Ad confirmationem Resp. concedendo maiorem, eiusque sequelam, negando tamen minorem, pro quo

100. Notandum, ut aliquid censetur interpretatiuè volitum, & ex eo capite possit committi peccatum, requiri ut causa, ex qua aliquid præuidetur futurum sit volita, & quidem quando huiusmodi causam tenemur vitare per ordinem ad talem effectum, vel saltem requiri, ut teneamur ponere aliquid quod impediatur effectum, si neutro modo nos habeamus respectu effectus, is non censetur respectu nostri interpretatiuè volitum, sed tantum permixtus vnde in presenti ut ostendatur peccatorem, qui non statim conteri censetur interpretatiuè velle carentiam gratiæ, & in eo peccare, prius oportet ostendere eum obligari ad contritionem statim eliciendam, quod cum non sufficienter aliunde ostendatur, non ostenditur propter eius neglectum peccatorem moraliter censeri actu interpretatiuè approbare statum peccati, & velle carentiam diuinæ gratiæ.

101. Eadem minor pro tertiâ parte probatur, quod scilicet peccator non obligetur statim conteri ex virtute iustitiæ: quia iniuria, quæ censetur Deo fieri per peccatum, consistit in ipso actu peccati, nec censetur continuari actu, eo quod homo non doleat de peccato, neque censetur accrescere, vel multiplicari, neque Deo accedit aliquid damnum ex eo quod homo permaneat habitualiter in peccato, quemadmodum qui offendit principem non censetur continuare offensam eo quod peccatum non retractet.

Obiectio. Dices, qui alium in honore, vel famâ læsit, continuò peccat si non satisfaciatur, ergo, &c.

Resp. Resp. negando consequentiam, ratio discriminis inter hominem læsum, & Deum offensum est, quod is qui hominem inhonorauit, vel infamauit, non solum illum lædat ipso actu, sed tamdiu damnum illi inferat, quamdiu non restituit famam, moraliter detinendo rem illi vtilem, ex cuius rei vtilis priuatione detrimentum patitur: Deus verò nullum paritur damnum vel detrimentum, eo quod homo, qui peccauit, non conteratur, & proinde ex eo quod homo peccator non conteratur, iniuria in Deum commissa non censetur continuari, sed simul cum desitione actus peccaminosi desinit actu esse & solum remanet habitu, quamdiu à Deo non condonatur.

Ex dictis presenti dubio facillè patet peccatorem non teneat ad eliciendam contritionem de peccatis quotiescumque peccata præterita menti occurrunt, atque adeo non peccare eum, qui non elicit contritionem de peccatis, quotiescumque ad eam recipi à Deo inspirationes, quamuis sit saluberrimum consilium illis inspirationibus respondere, nullo tamen modo ipsa peccata præterita possunt placere.

Multò minùs tenetur homo conteri, & dolere de peccato remisso, quotiescumque id menti occurrat, imò potest esse vtile mentem aliò auertere, ne scilicet scrupuli vel ingenerentur, vel foueantur, item ne caput lædatur. si qui Patres videantur contrarium sentire, non volunt id esse præceptum, sed magnæ cuiusdam vtilitatis, per se loquendo, & sepositis incommodis, quæ interdum in aliquo oriri possunt. Si qui dicant penitentiam debere esse continuam, & vsque ad finem vitæ, possunt explicari quod velint peccata præterita nunquam posse placere, non verò quod peccator, qui eorum remissionem est consecutus, teneatur posituè de illis dolere.

D V B I V M V.

Utrum peccator per se loquendo obligetur ad eliciendam contritionem diebus festis, vel in Paschate?

PRIVS docet Petrus de Soto lectione 13. de penitentia, Vigerius institutionum theologiarum cap. 16. §. 4. versu 11. Posterius verò tenet Sotus dist. 17. q. 2. art. 6. §. probatur, nam per acceptum, sed utrumque est minus probabile, ut communis scholastici.

Dico 1. peccator per se loquendo non tenetur conteri diebus Dominicis & festis.

Probatur, iure naturæ non tenemur quidquam iis diebus præstare; ius autem posituum humanum solum præcipit externum Dei cultum per auditionem sacri, præcipit etiam cessationem ab operibus seculilibus, ergo eo iure non præcipitur contritio, quæ fortè præcipi non potest, utpote actus merè internus, iure verò diuino nil peculiare præcipitur.

Nec obstat quod Ecclesia per suum præceptum intendat, ut Deo per charitatem inhaeramus: quia is est finis extrinsecus præcepti, sine cuius affectione poni potest substantia rei præcepta, & proinde non cadit sub præcepto.

Dico 2. non tenetur etiam, per se loquendo, & ex vi præcepti contritionis conteri in Paschate.

Probatur, eo tempore solum præcipitur communio, & iuxta aliquos confessio.

Dices, potest obligari, si non detur copia confessorii.

Resp. negando assumptum: quia Ecclesia ut summum solum præcipit confessionem, non verò præcipit contritionem, nisi tanquam partem confessionis, & proinde cum peragenda est confessio, vnde quo casu aliquis excusatur ab obseruatione præcepti confessionis, non tenetur conteri. adde ad substantiam & fructum Sacramenti penitentia percipiendum sufficere attritionem, ut infra; & proinde vi præcepti confessionis non potest colligi requiri contritionem perfectam, de qua hic est sermo.

DVBIVM

DV B I V M VI.

Quandonam per se loquendo peccator teneatur conteri?

CERTVM est apud auctores, quod præceptum contritionis obliget in mortis periculo: quia si quod tempus sit assignandum, id potissimum est, cum præceptum contritionis obliget pro tempore huius vitae, in cuius fine saltem homo tenetur Deo suo reconciliari, & cum illo in amicitiam redire.

Confirm. omnium sententiâ homo tunc tenetur Deum super omnia diligere, quod præceptum adimpleri nequit à peccatore, per se loquendo, nisi eliciat contritionem, tenetur etiam ex charitate erga seipsum eo tempore conteri, quia si tunc negligatur contritio, anima in æternum peribit & æternis addicetur supplicijs. videtur etiam pro eo tempore saltē vrgere obligatio iustitiæ erga Deum.

Sed queri potest, an spectando solum titulum charitatis erga Deum, peccator teneatur omni euentu conteri in mortis periculo: vtrum v. g. teneatur etiam conteri is, qui cum versaretur in vitæ periculo, elicit actum dilectionis Dei super omnia, & paulo post incidit in mortale: videri possit non teneri sub nouo peccato, quia hæc obligatio est obligatio diligendi Deum super omnia, cui obligationi satisfactum est, vt supponitur, ergo peccator in nostro casu non incurrit nouum peccatum contra charitatē non eliciendo contritionem.

Dices talis per subsequens peccatum mortale virtualiter retractat priorem dilectionem, & proinde tenetur denuo Deum diligere, & se, & omnia sua in eum referre.

Responderi posset retractasse quidem, ita vt peccauerit: non verò ita vt denuo teneatur præceptum dilectionis adimplere, sicut, is qui postquam sacrum die festo audiuit, doler se audiuisse & in eo peccat, non tenetur denuo audire, vt præcepto de audiendo sacro satisfaciatur.

Ob hanc ratiocinationem videri possit non improbabile, quod peccator in nostro casu non teneatur ex præcepto charitatis erga Deum conteri de peccato quod commisit, postquam in mortis periculo constitutus elicit actum dilectionis Dei super omnia. vnde secundum sententiam quæ asserit peccatorem obligari ad contritionem ex solo præcepto charitatis erga Deum, videri possit peccatorem in dicto casu non incurtere nouum peccatum negligendo contritionem. quia tamen Doctores communiter videntur tacite sentire peccatorem teneri etiam eo casu ad actum contritionis eliciendum, quatenus vniuersim censent debere conteri, nec vllus eum, vel similem casum excipit, non censet ab eâ sententiâ recedendum, præsertim cum videatur magis consentaneum quod homo ante discessum ex hac vita specialiter teneatur sese in Dei amicitiam constituere. his explicatis.

Difficultas est de alijs temporibus, an videlicet peccator, per se loquendo, teneatur extra mortis articulum aliquando conteri? negant Caiet. in summa verbo, contritio, num. 6. Nauarrus cap. 1. nu. 27. Vasquez q. 86. ar. 2. dubio 6. numero vltimo, & plures quos citat Suarez disp. 15. lect. 6. nu. 2. qui num. 16. censet saltem ex titulo iustitiæ erga Deum non obligari extra hunc articulum, & num. 17. censet non obligari ex charitate erga seip-

sum: ex titulo tamen charitatis erga Deum censet peccatorem obligari etiam extra periculum mortis elicere contritionem. quod videtur omnino probabile.

Probatur, præceptum dilectionis Dei super omnia videtur non solum in fine vitæ obligare, vt vtriusque doctores, sed etiam aliquoties in vitâ; peccator autem, per se loquendo, non potest hoc præceptum adimplere sine contritione. prior pars assumpti probatur, quia infinita Dei bonitas videtur à nobis exigere non solum vt in fine vitæ ei coniungamur, sed etiam in vita, dum eius donis fruimur.

Confir. seposito omni iure positio religio videtur postulare, vt non solum in fine vitæ, sed etiam aliquoties in vitâ Deum colamus. idem videtur dicendum de fide, & spe. & quamuis non possit tempus mathematicè designari, pro quo vrgeat præceptum, videtur tamen dici posse futurum peccatum, si reconciliatio ad multos annos differatur, v. g. ultra sex vel septem.

DV B I V M VII.

Vtrum de potentia Dei absoluta peccatum mortale remitti possit absque penitentia?

IN superioribus ostendimus penitentiam saltem virtutalem requiri de lege ordinariâ ad remissionem peccati mortalis, in præsentis dubio petimus, an hæc penitentia, & retractatio ita sit necessaria, vt peccatum mortale etiam de potentia Dei absolutâ nullo modo aliter remitti possit, ita videtur sentire S. Thom. ar. 2. in corpore dicens: *negat. ex D. Thom.* *Impossibile est peccatum actuale mortale sine penitentia remitti, loquendo de penitentia, quæ est virtus, & tenet Sotus dist. 15. q. 1. art. 2. §. sed quid de omnipotentia, iuncto §. Et ideo tanquam; & alij.*

Scotus vero in 4. dist. 14. q. 1. §. ex his ad solutionem, censet peccatum posse remitti sine penitentia, & motu voluntatis, quo peccator illud retractet. sed

Notandum Scotum id sensisse ex fundamento improbabili, scilicet quod peccatum habituale, seu macula sit solum reatus pœnæ, seu obligatio ad pœnam subeundam, vt videre licet q. cit. §. dico ergo, quasi transacto actu peccati nihil remaneat in homine præter huiusmodi obligationem, quod videtur omnino falsum, cum obligari ad subeundam pœnam præsupponat peccatum, & dignitatem, quâ homo dicitur dignus pœnâ. hoc relicto fundamento, quod fusiùs solet refutari 1. 2. q. 86. alij ipsam sententiam sequuntur. Valentia disp. 7. q. 3. puncto 2. §. altera nihilominus, Suarez disp. 9. sect. 2. & plures recentiores, secundum quam sententiam Ref. &

Dico, omnino verius est de potentia Dei absolutâ peccatum mortale posse remitti absque penitentia.

Probatur 1. peccatum originale remittitur parulis sine vlllo actu, quo censentur illud retractare, igitur non repugnat mortale remitti absque motu penitentiae, cum peccatum originale & mortale habituale videantur eiusdem esse rationis, siue dicamus peccatum habituale consistere in priuatione gratiæ, siue in quadam morali auersione à Deo.

Dices peccatum mortale dicere respectu ad vo-

Affir. probabilis.

Videtur fore peccatum differre reconciliationem ultra 6 vel 7 annos.

110.

Suadetur negat. ex D. Thom.

Scot. affirmat sed ex improbabili fundamento.

Valent. Suarez.

III. Affirm. sustinet Auctores.

Prob. 1.

luntatem eius, qui dicitur peccator, quod videlicet propria voluntate peccauerit, quem respectum non dicit peccatum originale. Resp. quamvis id aliquo modo possit facere, ut Deus non requiratur penitentiam ad remissionem unius peccati; quam tamen requirit ad condonationem alterius; non tamen ostendit omnino repugnare uni, quod convenit alteri eiusdem planè rationis, nec ostendit Deum, qui potest unum peccatum condonare sine ullo motu eius, cui sit remissio, non posse similiter condonare alterum sine ullo motu eius qui peccavit. quid enim necessitat Deum, ut debeat huiusmodi motum requirere ad condonandum peccatum?

Dices ipsam peccatoris aversionem id exigere.

Resp. hanc aversionem sufficienter tolli, etiam moraliter per gratiam habitualement, per quam homo constituitur Dei amicus, & ad illum conversus.

Confirm. 1. nihil repugnat gratiam habitualement infundi sine ullo praevio actu voluntatis, quo peccator censeatur peccatum retractare; gratia autem saltem secundum conditionem naturalem non compatitur secum peccatum, igitur peccatum secundum naturalem exigentiam gratiae debet condonari ei, cui infunditur gratia; atqui Deus non tenetur quidquam facere praeter gratiae exigentiam eo quod gratiam infundat homini absque eius cooperatione. Confir. 2. responsio & simul

112.

Prob. 2.

Probatur 2. propositio. contritio, dilectio Dei super omnia, vel quilibet alius pius motus voluntatis solum se habent tanquam dispositiones ad gratiae habitualis receptionem, & peccatorum remissionem; nihil autem repugnat Deum sine praevia dispositione gratiam infundere, atque adeo peccatum remittere; quia agens infinitae virtutis non necessarium praerequirat dispositiones in subiecto, ut suum effectum in illud inducat.

Dices id esse verum de effectu physico non verò de morali, qualis est peccatorum remissio.

Resp. videri multò minus posse ostendi omnimodam necessitatem dispositionis pro effectu morali. quid enim necessitat Deum ad expectandam huiusmodi dispositionem? & cur Deus non possit condonare offensam in se commissam, quamvis homo ad illam remissionem obtinendam non se preparaverit? si princeps possit remittere offensam in se commissam absque vlla retractatione eius, qui offendit, imò & cum ad suam amicitiam admittere, cur id Deo debeat denegari?

113.

Prob. 3.

Probatur 3. penitentia quae maximè conformiter naturis rerum exigitur, est contritio, sine qua tamen peccatum remitti potest in nova lege per Sacramentum, scilicet per attritionem, ergo signum est contritionem non requiri omnimodam necessitate. item non videtur requiri attritio saltem per ordinem ad potentiam Dei absolutam. cur enim requiratur dispositio, quae secundum naturalem suam conditionem minus est proportionata remissioni peccatorum? poterit ergo Deus peccatum remittere sine omni etiam attritione, & per consequens sine omni motu, quo peccator censeatur peccatum retractare.

Neque ex dictis sequitur peccatum, quod actu committitur, & dum actu committitur, posse remitti; quia si gratia nequeat cum peccato consistere, in tali hypothesi non poterit infundi, cum homo pro eo instanti sit sub conditione directè repugnante gratiae; cum ex hypothesi actu peccet, & ex alià hypothesi gratia non possit cum peccato

consistere: in nostro verò casu non est idem instanti, in quo homo sit sub statu peccati mortalis & habeat gratiam, cum in primo instanti productionis gratiae homo destinatus esse avertitur à Deo. vltimè. Dico repugnare eum, qui actu avertitur à Deo, non averti ab illo pro eodem instanti, & proinde peccatum ei dimitti pro eo instanti, siue gratiam infundendo, siue absque eiusdem gratiae infusione, de quo in praesenti non disputo.

Et quidem haec ostendimus Deum posse remittere homini peccatum sine ullo eiusdem motu, quo se praearet ad hanc remissionem obtinendam, ostendimus, inquam, fieri posse per gratiae habitualis infusionem, quae ex se non requirit omnimoda necessitate hominis preparationem, quod ostenditur: quia varij censent gratiam sanctificantem primò concessam Angelis, & primo parenti absque vlla suà preparatione per bona opera.

Utrum autem similiter remitti posset peccatum absque ullo actu peccatoris, atque adeo absque vlla eiusdem peccatoris internà mutatione physica, scilicet per simplicem Dei condonationem, quā Deus velit homini peccatum remittere: quemadmodum princeps per similem actum condonat offensam, commodius disputari potest in materia de iustificatione 1. 2. q. 113.

D. Thom. initio citatus nostrae conclusioni non repugnat: commodè enim potest intelligi de impossibili secundum legem Dei ordinariam, seu secundum leges naturae rerum convenientes, non verò de impossibili absolute, quod oritur ex repugnantia contradictionis. videri potest Caiet. in hunc articulum §. in eodem articulo adverte, & Suarez in commentario eiusdem articuli.

Explicat D. Thom. immo citatus.

ARTICVLVS III.

Utrum possit per penitentiam unum peccatum sine alio remitti?

NEGAT.

Notandum conclusionem intelligi de peccato mortali, quae intellecta de lege ordinaria est de fide; cum sit de fide peccatum mortale non remitti, nisi is cui sit remissio admittatur, ad divinam amicitiam, & ius acquirat ad regnum caelorum, quod non sit remanente homine in aliquo mortali, ratione cuius remanet inimicus Dei, & dignus eternis supplicijs. Eandem conclusionem optimè probat D. Thom. 1. peccatum mortale non remittitur absque infusione gratiae sanctificantis, quae saltem de lege Dei ordinaria excludit omne peccatum.

Resp. neg. 115. Conclusio. Causa.

2. Peccatum mortale non potest remitti sine verà penitentia, quae avertit hominem à peccato sub ratione communi omnibus peccatis mortalibus, & proinde eodem modo illum disponit ad obtinendam remissionem omnium mortalium.

Aduerte S. Thom. in hac 2. ratione per veram penitentiam intelligere perfectam, quae scilicet vltimò disponit extra Sacramentum ad obtinendam peccatorum remissionem non verò velle omnem etiam imperfectam penitentiam avertere à peccato sub motivo omnibus mortalibus communi, ut satis patet ex textu. in eà ergo ratione vult nullum extra Sacramentum consequi remissionem peccati absque verà, & perfectà penitentia, scilicet formali vel virtuali; haec autem saltem virtute sese extendit ad omnia peccata, &

116. Explicat D. Thom. 116.